dare posse, et veniam ad diem secundum pacta. Vides quo loco res sit mihi. De
tua in me benevolentia non dubito. nuper me magna consolatione levasti. nunc
si quid me consilio iuvare potes paucis quaeso rescribe. Vale cum tua coniuge fra-
ter dilecte. Saluta fratres in Domino. Bremae 21 Junij. 1549.

Wichboldo Lubecae

Nr. 38

Pax DEI per Christum

Ante biennium (ni fallor) scripsi ad te suavissime Wichbolde, cum intellexis-
sem te magno Vitebergae desiderio teneri. Non cuiquam hominum contin-
gere adire ~~Corinthum~~ Philippum. nunc quum hoc tantum boni beneficio DEI
sis consequutus, multum tua et nonnihil etiam mea causa gaudeo. Tua qui-
dem, quia tuis studijs, nihil evenire possit accommodatius, quam quod isthic vivis
in Academia non solum artium honestarum, sed etiam purae de DEO doctri-

[= Mscr. a. 11: Nr. 177]

na conservatrice. mea vero, quia qui nuper hinc isthuc profecti sunt, iuve-
nes mihi apprime chari, Lucius et Bokelmannus, eos confido confirmatum iri
tua consuetudine exemplo, quamlibet sua sponte, quod se dignum est moliatur.
Intelligent enim illi et tu quoque, etiam Wittebergae habere sua pericula, quae
nisi prudenter caveantur parum profuerit in ista doctissimorum hominum cele-
britate multas Jovis glandes comedisse. De doctrina periculis non loquor
nam scitis utique D. Philippi libros de doctrina Ecclesiae, et me legisse
semper studiose et meis familiaribus diligenter legendos commendasse.
De morbus mihi sermo est. de scopulis inertiae, voluptatum, luxuriae, libidi-
num, arrogantiae, compotationum, et si quid est pestium similium, quae fere lau-
tissima ingenia alliciunt. hic magni refert (ut arbitror) vos coniunctis animus
quasi uno iugo ad optima quaeque contendere, et mutua exhortatione et ae-
qualibus exemplis in isto tam praeclaro literarum et innocentiae cursu promove-
ri: praesertim quum in Academijs (ubi magna est libertas, ne dicam licentia)
nihil sit solennius quam eorum naufragia qui in scholis arctioribus bonam
de se spem ostenderant virtutis futurae. Credite, rem arduam aggressi estis
qui bene ominantibus propinquis, beneque precantibus amicis, ad tam illustre
gymnasium profecti, omnium civium vestrorum animos ad laudabilis cursus spem
minimeque vulgaris doctrinae expectationem provocastis. Quamobrem ἀνέ-
ρες ἔστε φίλοι μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς. De meo discessu nihil
adhuc certi habeo, nam quamvis alio vocatus sum. tamen perspicere nequeo quo loco
co possum, non solum pusilli sed prorsus nullius animi homo. Quocunque autem
me transferam, mea mecum suspiria, mea mecum aerumnae commigrabunt. Tu fac
ut nostrarum rerum securus hoc unum agas: ut istud singulare DEI beneficium
(nempe quod in ista aetate Philippi Melanthonis uberrima integerrimaque
doctrina tibi datum est perfrui) tam reverenter habeas, ita parce dispen-
ses: tam circumspecte colloces, tam grato animo prosequaris, ut multo teipso
tum doctior, tum sanctior, quotidie evadens, olim et patriae huic usui, et a-
micis ornamento esse possis. Vale. Salutem ex me precare Wachmanno, Lu-
cio, Bokelmanno, Rumero: alijsque studiosis adolescentibus, quorum vitam et stu-
dia Filio DEI Servatori nostro diligenter et ex animo commendo. Bremae pos-
tridie Cal. July. 1549. Vos amans

Johannes Molanus.

Nr. 39)

D. Gerardo Mercatori Duysburgi.

Pax Christi

Cum in meis angustijs quod ipsa cogebat necessitas, tam serio tamque anxie
nuper ad te amicum veterem, et ad collegas tuos scripsissem vir humanissime dabat

[= Manuscr. a. 11, Nr. 178]

mihi non

non mediocriter vos ad mea tanta solicitudinem non paulo attentius animum aduer- foe. 23 [36
tisse. Obiter (ut aris) ostensa est Gwaltero mea epistola, non probabat ille quae scrip-
seram. nec mirum, nam neque tibi ea probantur (ut scio) neque mihimet ipsi. At ego spe-
rauerim (quae vestra est aequitas) matura deliberatione hoc agendum cum D. Cassandro
et collegis, per quos ista res agitur, num quae ratio investigari posset, qua sine scholae de- nium sine
trimento, temporariter meis necessitatibus subveniri posset. Hac ego spe et consilio
nuntium istuc miseram, non dubitans quin quae tantopere mea interesse intelligere-
tis, ea vobis ex animo curae essent. Iam vero post factum in nuntio sumptum incer-
tior etiam sum multo quam dudum. nihil enim rescribis mi frater aliasque exhortationes
pias quidem illas, sed easdem domi ex te ipso mihi auditas, quae sane merito va-
lerent apud me, ut nuper ita nunc quoque plurimum, nisi gravioribus necessitatibus im-
peditus essem. Nam quod me ab amicis quibusdam debilitatum ista tentasse sus-
picaris, id quam sit verum hinc perspici potest, quod amicis nondum de mea obligati-
one neque de certo hinc discedendi consilio quidquam scientibus, hanc apud me perscrip-
tam habui epistolam, qua vobis satis prolixe exposui, quae me potissimum causae im-
pulissent. Ut ea contenderem a vobis, quae ut non erant iniqua, sic in vestra ma-
nu posita, videbantur non minus scholae vestrae profutura: quam mihi erant impri-
mis necessaria. Quod autem tibi videor μελαγχολᾶν, sic accipe. Donec me
familiaribus curis excussum vestra praedulcis consuetudo fulciebat, satis tranquillo
animo fui, sed postquam abs te quidem humaniter, a D. Cassandro satis frigide di-
missus mecum esse coepi, mecumque attentius meas rationes reputare, mox etiam ubi
ad luctuosam, et mea diuturna emansione nonnihil conturbatam familiam rever-
sus, veteres aerumnas ad me recepi: protenus ex capitis imbecillitate in meam ani-
mi consternationem relapsus sum, quae me iam annis tribus, maxime circa sol-
stitium aestivum ad omne fere munus officii inutilem reddidit. Haec non solum ob-
stat mihi quominus in studiis omnino aliquid meditari sedulo possim, sed eti-
am certam memoriae mortem afferens, paulatim omnem ingenii vigorem ~~extin~~ exstinguit
~~guit~~. Atqui isthaec scholae vestrae functio, ad quam me subito quodam animi
motu magis, quam matura cogitatione obligavi, et ingenii celeres motus, et prae-
sentem plurimarum rerum memoriam, et acerrimi studii quotidianam agitationem
requirit, quas res ego (sicut coram vobis ingenue de me ipso confessus sum) etiam
incolumi valetudine, non nisi tenuiter praestare possum. Caeterum quod de contuber-
nalibus rescribis, quos etiam nunc viginti meum habeo, quale sit videamus. Si quos
habes (inquis) pueros, quos dimittere non licet, huc adduci permittant parentes
aut ad se recipiant, quibus operam addixisti non locum. Dicere ista mi frater pro-
clive est, sed efficere difficillimum. Nam quoniam iis operam addixi, et ita anno-
rum aliquot consuetudine plerisque devinctus sum, remittere ipsos suis ante le-
gitimum tempus sine gravi dispendio, et sine mala gratia non possum. Nuper
in 3 aut 4 (a quibus ~~me~~ plus negocii est) periculum feci. sed prorsus in nullo
successit: imo vero quo magis in omnes formas me verto ut me expediam, hoc te-
nacioribus vinculis constringor. Retinere autem eos usque ad Michaëlis, ac de-
inde mecum isthuc adducere quo pacto possim. qui donec adsint quos doceat
neque hic parare possum quibus opus est ad publicam functionem, neque isthic one-
ri recepto satisfacere, nisi reliquis omnibus curis expeditus. Nam quantum sit mo-
lestiae et aerumnarum in alendis regendisque alienis liberis, etiamsi nec multi sint nec
abs te doceantur melius intelligunt qui re ipsa compererunt. Quod locum negas pue-
ris addictum esse, consentaneum est. et tamen constat in quaerendo filiis paeda-
gogo.

parentes cordatos non minus loci ratione habere quam Magistri. Certe meorum
sodalium parentes plerique magis Ecclesiae sincera consuetudine movebantur quam vel optima
literarum institutione. Neque quisquam est vel coram vel per epistolam de mea migrati-
one est admonitus, qui non hanc primam quaestionem fecerit: Qualis sit isthoc loco
constitutio Ecclesiarum. Nam et qui Emdae habitant a quibus 8 ante Kal. Octo-
bre rescripserunt satis infesto animo, sperare se non posse, postquam Vesalia recte sen-
tientes peregrinos eiecit, ut in vicinis civitatibus tuta futura sit professio purio-
ris doctrinae. Huc pertinet (opinor) quod obiter in deliberando dixit D. Cas-
sander Magistratum Duysburgensem eos quaerere ministros qui a suae vocationis
cura distenti, nihil turbae darent in negotio religionis. Hoc dictum etsi tunc qui-
dem leviter meas aures perstrinxit postea tamen momordit animum non mediocriter,
non sane quod ita turbulento ingenio sim, ut nequeam (iuxta regulam Apostolicam)
ἡσυχάζειν καὶ πράττειν τὰ ἴδια, qui magis etiam peccare soleo in alteram
partem. Sed quod (sicut ante profectionem ad te scripseram) nisi bona spes sit re-
ligionis isthic in integrum restituendae mihi hominum anxio in ista cultus confu-
sione futura sit morte durior vita. Sed ad pueros redeo. Cum experiendo di-
dicissem ante primam hyemem nullo pacto ablegari posse, tum etiam ipsis me-
cum manentibus impossibile esse de rebus isthic agendis cogitare, praesertim an-
gustiis obruto, neque consilium neque auxilium prospicienti. Quid facerem? Sciebam
me vobis legitime obligatum esse, et obstabat invicta necessitas quo minus saltem
ad diem praescriptum fidem meam liberare possem. Diu multumque cum animi
mei verecundia luctatus, tandem per epistolam (quam aiunt non erubescere)
ad vos honores non minus prudentes quam mei amantes confugi, sperans fore
ut meae nimis inconsultae ~~facilitati~~ apud aequitatem vestram aliquod praesi-
dium esset, qui intelligeretis me vestro imprimis hortatu in has angustias dedu-
xisse diu tergiversantem et post seriam Dei invocationem obnixe obtestatum,
ut diuturnis malis fracto, vel nullam publicam functionem, vel eam saltem impo-
neretis cui sine studio facile superesse possem. Verum nihil retulit: nihil valuit
aequitas. Vestrum modo institutum urgentes, nullam perplexi fratris rationem ha-
buistis. Id adeo ex ipsa re facile intelligi potest. Nam cum quod res erat bo-
na fide scripsissem, me huc adigi necessitate invicta ut peterem a vobis spatium
diuturnius ad tempestivam migrationem, nisi malletis (quod non erat difficile)
Lyronem aliquem quaerere magis expeditum magisque erectum ad docendum, rescri-
psistis ἀπολογίαν, obstare tempus, non pati rei conditionem, non ferre conscienti-
am principis, ut aliqua nobis dilatio indulgeatur. Ego vero cui ita tandem e-
ventus obligationem impossibilem reddidit, quod unum reliquum fecistis hoc retineo.
Ut quando quod re ipsa aequissimum fuerat, mihique prorsus necessarium, et vestrae eti-
am scholae haud quaquam inutile (cum primi menses non admodum egebant tertio
professore) id nullo pacto censuistis concedendum obtestanti: hoc tamen renuntio, ut
quod superest thematis ad alteram disiunctivae partem, nempe ut alio quasi colu-
mine in collegium vestrum adscito, hunc putrem et cariosum tibicinem valere
iubeatis. Nam quoniam impossibilium nulla est obligatio et quae per se fuerant
alioqui difficilia, ea temporis angustia exclusa, impossibilia fieri coeperunt: non pos-
sum videri vobis rem iniquam vel nostra necessitudine indignam postulare, nec
tu Gerarde frater cum D. Cassandro, et amicis caeteris hanc sententiae mu-
tationem

simplicitati

(inquam)

tionem ad quam me necessitas impulit in deteriorem parte interpretari debetis
quu sciatis in ista re incipienda consilium fuisse honorare veterem amicum ho
nesta functione non onerare. Multi aliorqui sese ultro offerentibus magis erudi
tis magisq accommodis qui pro magno beneficio ducat tam honestu inter huma
nissimos viros in libera civitate locum adipisci. Jmo vero te imprimis Gerarde
vir optime per tuu syncerũ erga me amorem ante multos annos perspectum obtes
tor, ut respectu mea imbecillitatis et augustiaru ex quibus eluctari non possum, ea
facias in hac re et perficias quacunq pro amico consternato fidelis amicus conati
potest, iuxta id quod olim non temere dictum est: Amicum certum in re incerta
cerni. Vale. [10. Juli 1559]

Hieronymo Commelin Emda.
Pax DEI per Jesum Christum

Nuper cum huc ad nos venisset Johannes van Swolle cui datum fuerat negociũ
ut Antoniu vobis reduceret, ex tuo iussu paravimus ea quibus erat puero opus
ad profectionem. Johannem deinde subsequutus Nicolaus Gardinus vetuit ne
Johanni puerũ iungeremus. Se si opus esset in reditu assumpturũ eũ affirmans. Cu
autem inter alios sermones astantibus pueris vestris dixisset Nicolaus mirari se quar
a studio Antonius abduceretur, atq ego causas a me ipso vobis scriptas ei declaras
sem (nempe morbũ, et oculorum imbecillitate) respondere cepit Antonius, mor
bo se prorsus beneficio DEI liberatũ esse, oculorũ vitiũ non obstare sibi ad disce
dum, nisi si quando a prandio multa accurate scribat, tuc enim defluxus humo
res in frontem et in oculos, unde videndi imbecillitas nasci solet. Post illud col
loquiũ digresso Nicolao paucis diebus Antonius honestam orationem meditatus
ad me venit obnixe contendens ut sibi in hac re apud reverendũ patrem suũ ad
iutor essem, ut liceret vel tota ætatem, vel certe adhuc annos aliquot in studio
literarũ collocare. Quid facerem? Scripserã in meis ad te literis me probare
tuum consiliũ in puero revocando et propemodũ ipse vobis author fueram eius
revocandi, nec tamen excludere tam iustam pueri petitione ausus sum (præser-
tim cũ pauci sint pueri qui sic sua voluntate ad discendũ inclinent) promisi
me de ea re acturum cum amico ~~meo~~ nostro Nicolao Gardinio simulatq
huc redisset, feci, placuit eidem consilij nostri mutatio, recepitq rem omne
in sese quam nos sane illi tanto alacrius commisimus, et quod sciremus ipsũ
multum apud te valere, et quod de tua erga nos benevolentia nihil dubita
remus. Puer ipse interea confirmatur a Domino, tam sanus per oĩa quã
conspicis, et ad studium tam fervens, quam quisq in ea ætate esse possit. Desi-
deramus tamen tuas literas, tum ut tua authoritas nobis animũ addat, tu etiã
ut me tuo salubri consilio adiuves in ijs quæ scripserã de mea migratione. Nã
postq satis præcipiti deliberatione (sicut in arumnis fieri solet) meam fide Cli-
vensibus astrinxi. neq me propter domestica impedimenta, et propter honoru
filios de me pendentes, expedire possum nisi cũ summa difficultate ac dispendio
maximo. Vix credas mi frater quantis in angustijs meum miserũ cor ultro ci
troq iactetur. Intempestiviter sane id accidit mihi in acerbissimo luctu cha
rissimæ coniugis, nisi mea potius culpa accidisset. Dissimulante nimirũ Domino
ut (quod proverbio dicitur) Clavus clavo pelleretur. Sed iam nimis prolixe
præsertim apud virum cordatum imprimis, et serijs de Ecclesia curis distentum.

Pueri

autor

autoritas

Nr. 40)

[= Mscr. a. 11: Nr. 179]